

## DE HAERETICIS ET MANICHAEIS ET SAMARITIS.

1.5.1

*Imp. Constantinus A. ad Dracilianum.*

Privilegia, quae contemplatione religionis indulta sunt,  
catholicae tantum legis observatoribus prodesse oportet, haereticos non  
solum his privilegiis alienos esse volumus, sed et diversis muneribus constringi et subici.

*PP. k. Sept. Gerasti Constantino A. VII et Constantio cons.*

[a. 326]

1.5.2

*Impp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. ad Hesperium pp.*

Omnis vetitae legibus et divinis et imperialibus constitutionibus haereses  
perpetuo conquiescant et nemo ulterius conetur quae reppererit profana praeccepta  
vel docere vel discere: ne antistites eorundem audeant fidem insinuare,  
quam non habent, et ministros creare, quod non sunt: ne per conventiam  
iudicantium omniumque, quibus per constitutiones paternas super hoc cura  
mandata est, eiusmodi audacia neglegatur et crescat.

1 ¶ Haereticorum autem vocabulo continentur  
et latis adversos eos sanctionibus dabant succumbere,  
qui vel levi arguento indicio catholicae religionis et tramite detecti fuerint deviare.

*D. III non. Aug. Mediolano, acc. XIII k. Sept. Ausonio et Olybrio cons.*

[a. 379]

1.5.3

*Impp. Arcadius et Honorius AA . Clearcho pu.*

Cuncti haeretici procul dubio noverint omnia sibi  
loca adimenda esse, sive sub ecclesiarum nomine  
teneantur sive diaconica appellantur vel etiam decanica, sive in privatis  
domibus vel locis huiusmodi cortibus copiam praebere videantur:  
his aedibus vel locis privatis ecclesiae catholicae vindicandis.

1 ¶ Ad hoc interdicatur his omnibus ad litaniam  
faciendam noctu vel die profanis coire conventibus: statuta videlicet  
condemnatione centum librarum auri contra officium sublimitatis  
tuae vel praesidale quinquaginta, si quid huiusmodi fieri vel in  
publico vel in privatis aedibus concedatur.

*D. V non. Mart. Constantinopoli Arcadio IIII et Honorio III AA. cons.*

[a. 396]